



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **LUCIS MATREM** MAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE
SUB TITULO

«CONSOLATRIX AFFLICTROUM» IN ECCLESIA PAROECIALI LOCI V. D. MIEDZNA
IN DIOECESI DROHICZINENSI PIE COLITUR, PRETIOSO DIADEMATE REDIMITUR Ad perpetuam rei memoriam. –
Lucis Matrem fecundam et Virginem purissimam omnis populus christianus firmiter confitetur Reginam caelestem, ad
quam sane constanter in omnibus necessitatibus confugit, «quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariae manus
non transiret» (S. Bernardus, *Sermo III in Vig. Nativ. Domini*, 10; *PL* 183, 100). Instante igitur Venerabili Fratre Antonio
Pacifico Dydydz, Episcopo Drohiczynensi, vota cleri et christifidelium expromente, concessimus die XXVII superioris
mensis Iulii ut gratiosa imago Beatae Mariae Virginis, quae sub titulo «Consolatrix Afflictorum» in ecclesia paroeciali loci
v.d. Miedzna pie colitur, Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri posset. Nunc autem, ut huius Nostrae
concessionis sollemnisque istius imaginis coronationis memoria in posterum perennis vigeat ac pariter fidelibus
incitamentum sit ad hoc Immaculatae Dei Genetricis Mariae sanctuarium devote invisendum, has Litteras Apostolicas
dari iubemus, testes verissimas tam fausti eventus, contrariis quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S.*
Petrum, sub anulo Piscatoris, die V mensis Septembris, anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodecimo. ANGELUS
card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana